

DE ENTE ET ESSENTIA

INDEX CAPITUM

QUÆ IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR

CAPUT I

Entis et Essentie nomine quidnam significatur ostendit, nomina item varia ponit, quæ essentiam significant.

CAPUT II

Substantiarum essentiam proprie dici, accidentium autem nominis secundum quid ostendit. Nobiliores item simplicium essentias, quam compositarum substantiarum probat. Quod demum essentia, substantia composita, non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum, sed ipsum sit compositum, variis rationibus demonstrat.

CAPUT III

Essentie generis, speciei, individuorum, quomodo tam absolute, quam primæ impositionis nominibus concepte distinguantur, quomodo item genus, species, differentia, definitio differant, exponit. Deinde quomodo essentie speciei ipsi individuis comparentur, declarat.

CAPUT IV

Quanam ratione compositorum essentie conveniat esse genus, speciem, et differentiam, ostendit.

CAPUT V

Quod simplicium substantiarum essentia minime sit ex materia et forma quid compositum, sed tantum forma, quomodo item comparetur compositorum essentia, et quod ex esse et essentia sit composita, quod denique intelligentiæ effective sint a Deo ex actu et potentia compositæ multipliciter ostendit.

CAPUT VI

Qualisnam sit essentia Dei, quamam item ratione in simplicibus substantiis separatis, et a quo genus et differentia sumendum sit et quomodo multiplicari eas contingat, exponit.

CAPUT VII

Quod accidentia habeant essentiam incompletam ostendit, varia item accidentia distinguit, et quomodo in ipsis sumatur genus et differentia, exponit.

PROŒMIUM

Eorum, quæ dicenda sunt, utilitatem ac necessitatem poni: difficultatem item illorum, et ordinem ea exponendi, edocet.

Quia parvus error in principio magnus est in fine, secundum Philosophum, primo Coeli et Mundi: ens autem et essentia sunt, quæ primo in intellectu concipiuntur, ut dicit Avicenna in Metaphysica, ideo primo, ne ex eorum ignorantia errare contingat,

ad horum difficultatem aperiendam dicendum est quid nomine Essentiae et Entis significetur, et quomodo in diversis inveniantur, et quomodo se habeant ad intentiones logicas, scilicet genera, species, et differentias.

Opus istud insigne in duas partes dividitur principales : in proemium scilicet, et tractatum incipientem ibi: Sciendum est, etc. In proemio, artem Rhetoricæ servando, tria agit. Primo reddit auditores benevolos, utilitatem et necessitatem dicendorum ostendens tali ratione: Omnis errans circa principia omnium intelligibulum magis errabit circa alia : omnis errans circa essentiam et ens errat circa principia omnium intelligibulum : ergo omnis errans circa essentiam et ens magis errabit circa alia. Utile igitur et necessarium est tradere notitiam de essentia et ente ad vitandos multiplices errores, qui ex eorum ignorantia accidunt. Hujus rationis majoris subintellecta probatio ponitur in littera sumpta ex primo coeli tex. commentario tricesimo tertio. Minor autem probatur auctoritate Avicennae, I supz Metaph., cap. vii.

Ad evidentiam majoris et sue probationis scito, quod quia principium est parvum in quantitate, ideo error in principio parvus appellatur, et quia principium est magnum in virtute (utpote virtualiter continens omnia principia) ideo error in principio parvus, in fine efficitur magnus. Crescit enim error sicut et dilatatur principium in suis principiatis, ut manifeste patet in principio bivii, in quo modica deviatio ad magnam distantiam deducit in processu.

QUÆSTIO I

Num ens sit primum cognitum ordine et via originis.

Ad evidentiam minoris occurrit dubitatio in hoc studio trita, an scilicet ens sit primo cognitum ordine originis ab intellectu nostro.

In hac questione quinque agam. Primo declarabitur in quo stat difficultas questionis : secundo ponetur opinio Scoti cum fundamentis suis : tertio ponetur opinio S. Thomae, et impugnabitur simul opinio Scoti : quarto arguetur contra dicta S. Thomae, et respondebitur : quinto satisfietur argumentis principalibus.

Quoad primum, notandum est quod universale (quod tantum ab intellectu directe cognosci supponimus) duplicem habet totalitatem : est enim totum diffinibile, et est totum universale. Differunt autem hæc totalitates tripliciter. Primo, quia totalitas diffinitiva fundatur supra actualitates rei : totalitas autem universalis supra virtutem seu potestatem. Secundo, quia illa est in ordine ad superiora, si habet ea : ista vero est in ordine ad inferiora. Tertio, quia illa naturaliter est ista prior. Et sicut habet duplicem totalitatem ipsum universale, ita habet duplicem cognitionem confusam, et duplicem distinctam. Prima cognitio confusa est, qua cognoscitur ut totum diffinibile, non resolvendo in partes diffinitivas. Secunda cognitio confusa est, qua cognoscitur ut totum universale non componendo ipsum cum partibus subjectivis. Prima distincta est, qua cognoscitur totum diffinitum, resolvendo ipsum in singulas partes diffinitionis : et hæc respondet primæ confusæ. Secunda distincta est, qua cognoscitur totum universale, componendo ipsum cum suis partibus subjectivis : et hæc respondet secundæ confusæ. Differunt autem illæ duæ cognitiones confusæ inter se tripliciter. Primo, quia prima cognitio

respicit objectum, ut totum diffinibile; secunda vero ut totum universale. Secundo, quia prima nullam notitiam distinctam ejusdem objecti secum compatitur. Secunda vero compatitur secum notitiam distinctam ejusdem objecti : in eo quod totum diffinibile, utpote non sibi oppositam. Similiter enim ignoro animal in suis speciebus, et novi quid sit animal. Tertio, quia prima naturaliter est prior secunda : ex quibus pono verbalement differentiam. Et prima vocetur cognitio confusa actualis : secunda vero notitia virtualis confusa. Et merito : eo quod prima cognitione cognoscitur confuse id quod actualiter in objecto reperitur : secunda vero cognoscitur confuse, id quod virtualiter in objecto includitur.

Illæ vero duæ distinctæ cognitiones differunt etiam tripliciter. Primo, quia prima cognitione penetratur res, ut totum diffinibile : secunda vero ut totum universale.

Secundo, quia prima compatitur secum ejusdem objecti aliquam cognitionem confusam universalem, scilicet utpote sibi non oppositam, secunda vero nullam confusam secum compatitur : cum notitia enim animalis cum suis speciebus non stat ignorantia animalis in se : et ex hac sequitur tertia differentia, quod secunda distincta infert primam, et non e converso. Ex quibus pono etiam hic verbalement differentiam : et prima quidem vocetur notitia distincta actualis, secunda vero notitia distincta virtualis et merito : quia prima penetratur res, secundum id, quod actualiter in ea invenitur : secunda autem cognoscitur res secundum id, quod virtualiter in ea includitur.

Ex his elicio primo diffinitiones istarum quatuor cognitionum : deinde coordinationes quatuor earundem. Et quia privatio cognoscitur et diffinitur per suum habitum : ideo a distinctis incipiendo, dicitur quod cognitio distincta actualis est : qua penetratur id, quod actualiter in objecto invenitur. Cognitio confusa actualis est, qua citra penetrationem cognoscitur id, quod actualiter in objecto invenitur. Cognitio distincta virtualis est, qua objectum penetratur secundum id quod virtualiter in ipso includitur. Cognitio confusa virtualis est, qua objectum secundum id, quod virtualiter in ipso includitur non perfecte cognoscitur.

Coordinationes harum cognitionum sunt istæ : prima est cognitionum confusarum actualium ; secunda confusarum virtualium ; tertia distinctarum actualium ; quarta distinctarum virtualium. In prima est cognitio, qua cognoscitur substantia in seipsa non penetrando tamen, et cognitio qua cognoscitur corpus, et qua corpus animatum ut sic, et qua animal ut sic, et qua homo ut sic : semper absque penetratione, id est, absque hoc quod habeatur ratio formalis clara et resoluta. In tertia sunt cognitiones oppositæ supradictis, scilicet qua substantia, et qua corpus et qua animal, et qua homo quidditative cognoscuntur. In secunda sunt cognitiones, quibus substantia, corpus, corpus animatum, et animal cognoscuntur, non componente cum inferioribus suis. In quarta sunt cognitiones his oppositæ, scilicet qua substantia jam cum suis inferioribus perfecta cognitione componitur totum universale, scilicet cum suis partibus : et qua corpus similiter cum suis partibus subjectivis penetratur, et sic de aliis. Cum autem, ut ex dictis patet, ordo cognitionum confusarum actualium sit via originis prior cæteris, primum cognitum in ordine cognitionis confusæ actualis, erit primum cognitum simpliciter : et sic cum hic quaeramus quid sit primum cognitum simpliciter ab intellectu nostro via originis, nihil aliud dubitamus nisi quid sit primum

cognitum in ordine cognitionis confusa actualis. Stal ergo inter nos et Scolum difficultas in hoc, an in ordine cognitionis confusae actualis via originis primum cognitum sit ens, an species specialissima. Ex quo patet defectus Ant. Trombeta, qui hanc quaestionem movendo adducit opinionem S. Thomae ex prima parte, q. LXXV, art. 3; etenim a S. Thoma nulla ibi facta est comparatio inter cognitiones confusas actuales, de quibus est hic tota quaestio, sed comparavit ibi cognitiones distinctas actuales inter se: comparavit quoque distinctam actualem superioris distinctae virtuali ejusdem: comparavit et confusam actualem distinctae actuali ejusdem objecti, ut patet intuitu. Et hoc de primo.

Quoad secundum Scotus I Sent., dist. III, q. 2, ponit hanc conclusionem: Primum cognitum cognitione confusa actuali est species specialissima, cujus singulare efficacius primo movet sensum. Et probat tribus rationibus.

Prima est: Causae naturales non impediunt producunt primo perfectissimum effectum, quem possunt primo producere: patet ista, quia agunt secundum ultimum potentiae suae: sed agentia ad primum actum intellectus sunt causae naturales non impediunt, ergo producunt primo perfectissimum effectum, quem possunt primo producere: talis effectus non est nisi conceptus actualis confusus speciei specialissimae, ergo, etc. Probat hoc ultimo assumptum: quia si talis conceptus scilicet perfectissimus sit conceptus communioris, sequitur quod nunquam illa agentia poterant producere conceptum speciei specialissimae. Tenet consequentia: quia nunquam aliqua potentia potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu: conceptus autem speciei specialissimae est perfectior conceptu communiori: sicut totam sua parte. Et confirmatur, inquit Ant. Trombeta: quodcumque sunt aliqua duo naturalia agentia aequae approximata passo debite disposito, id, quod est actualius, praevinit id quod est minus actuale in agendo erga passum: sed rationes obiectivae speciei specialissimae, et cujuscumque superioris sunt hujusmodi, scilicet quod species specialissima est actualior: ergo species specialissima prius producit effectum suum, quam genus.

Secunda ratio est ista: Termini metaphysicales vel universalissimi sunt ultimo actualiter noti via doctrinae. Patet ista ex Avicenna, I Metaph., cap. II, dicente, quod metaphysica est ultima ordine doctrinae, sed termini illi sunt universalissimi, ergo universaliora non sunt prius nota actualiter.

Et confirmatur, ait Ant. Trombeta, quia ordo scientiarum quoad nos attenditur penes ordinem cognoscibilem quoad nos: si ergo metaphysica est ultima quoad nos, ergo termini sui erunt etiam ultimo noti quoad nos.

Tertia ratio est ista: Si oporteret ante speciei conceptum concipere universaliora, tunc supposito sensu in actu et intellectu soluto, magnum temporis intervallum accideret antequam intellectus cognosceret speciem: tenet consequentia, quia multa sunt praedicata media inter supremum et infimum.

Quarto ad idem arguit Ant. Trombeta sic: Id prius cognoscitur quod est facilius abstractionis, sed species specialissima est facillime abstractionis, ergo species specialissima prius cognoscitur. Probat major: quia cum intellectu non intelligat nisi abstrahendo: sicut se habet ad abstrahendum, ita se habet ad intelligendum. Minor patet: quia a simi-

lioribus facilius est abstractio, quam a dissimilioribus: individua autem unius speciei, a quibus abstrahitur genus, seu quodvis superius.

Quinto: Id universale prius cognoscitur ab intellectu, cujus singulare fortius movet sensum; sed singulare speciei specialissimae fortius movet sensum, quam cujuscumque superioris singulare: ergo species specialissima primo cognoscitur ab intellectu. Major patet: quia nostra cognitio intellectiva nascitur ex sensitiva. Minor probatur dupliciter. Primo, sensus movetur a singulari, ergo maxime movetur a maxime singulari (per regulam Topicam, sicut simpliciter ad simpliciter); sed maxime singulare est singulare speciei specialissimae: quia est determinatum non solum determinatione singularitatis, sed etiam naturae determinatae non amplius determinabilis per aliam naturam, quod individuis superiorum non convenit: ergo, etc.

Secundo probatur eadem minor sic: Singulare actualius fortius movet sensum, sed singulare speciei specialissimae est actualius, cum sit perfectius: cum ad alia singularia addat, ergo singulare speciei specialissimae fortius movet.

Sexto sic, compositius est prius notum: species specialissima est compositior omnibus superioribus: ergo species specialissima est prius nota omnibus superioribus. Major habetur a commentatore I Physicor. commento tertio. Minor a Porphyrio dicente, quod species abundat a genere. Et hoc de secundo.

CONCLUSIO

Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione actuali confusa.

Quoad tertium ponuntur duae conclusiones. Prima est, Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali.

Antequam haec conclusio probetur duo praemittantur. Primo declarabo quid nominis subjecti conclusionis, scilicet quid sit dicere ens concretum quidditati sensibili. Secundo declarabitur quoddam, quod presupponit ipsa conclusio.

Circa primum scito, quod ens sub triplici conditione potest terminare actum intellectus. Primo ut habet conditionem istam, quae est abstractio totalis, non dico a singularibus sed a speciebus et a generibus. Secundo modo, ut habet conditionem istam quae est abstractio formalis similiter a speciebus et generibus. Tertio modo, ut neutram istarum conditionum habens: abstractum tamen a singularibus, primo modo ens non est pertinens ad hanc questionem, quia ipsum ut sic est totum universale, nos autem loquimur de cognitione confusa actuali non virtuali. Secundo modo ens est terminus metaphysicalis: et forte adhuc viris doctissimis non innotuit. Tertio modo ens est primum cognitum, et nuncupatum est ens concretum quidditati sensibili: quia non est separatim aliqua dictarum abstractionum a quidditate specifica vel generica.

Ad horum pleniorum intelligentiam nota, quod sicut est duplex compositio, scilicet formae cum materia, et totius cum partibus: ita duplex est abstractio per intellectum, scilicet qua formale abstrahitur a materialibus: et qua totum universale abstrahitur a partibus subjectivis: secundum primam quantitas abstrahitur a materia sensibili: juxta secundam

animal abstrahitur a bove et leone; primam voco abstractionem formalem, secundam vero voco abstractionem totalem, eo quia quod abstrahitur prima abstractione, est ut forma ejus, a quo abstrahitur. Quod vero abstrahitur secunda abstractione, est ut totum universale respectu ejus, a quo abstrahitur.

Differunt autem hæc duæ abstractiones quadrupliciter. Primo, quia in abstractione formali seorsum uterque conceptus completus habetur: ejus scilicet quod abstrahitur, et ejus a quo abstrahitur, id est, formalis et materialis: ita quod conceptus alter alterum non includit. Linea enim in eo quod linea habet complete suam definitionem non includentem materiam sensibilem, et e converso, materia sensibilis lineam habet complete suam definitionem non includentem aliquid lineam, in eo quod linea: aliter definitiones naturales abstraherent a materia sensibili. In abstractione vero totali non remanet seorsum uterque conceptus completus, ita quod alter alterum non includit: sed unus tantum, ejus scilicet quod abstrahitur. Quando enim abstraho animal ab homine non præcedit se invicem conceptus hominis et animalis: sed tantum conceptus animalis non includit conceptum hominis: homo enim non est intelligibilis sine animali. Fundamentum hujus differentie est, quod illa abstractio fit per considerationem alieujus, quod est de ratione inferioris: et per remotionem, id est, non considerationem alieujus, quod est de ratione illiusmet inferioris: abstrahitur enim animal ab homine per hoc, quod intellectus considerat in homine animal et non rationale, quorum utrumque est de ratione hominis. Illa autem abstractio non fit per considerationem alieujus quod sit de illius ratione materia, et per non considerationem eorum, quod sit de illius ratione: sed potius fit per separationem eorum, quod sunt de ratione formalis, ab his quæ sunt de ratione materialis, et e converso, ut exemplum datum ostendit.

Secundo differunt, quia per abstractionem formalem oritur in eo quod abstrahitur actualitas, distinctio et intelligibilitas. In abstractione vero totali oritur in eo quod abstrahitur potentialitatis confusio, et minor intelligibilitas. Tertio differunt: quia in abstractione formali quanto aliquid est abstractius, tanto est notius naturæ. In abstractione vero totali quanto est abstractius, tanto est notius nobis. Fundamentum harum differentiarum est, quia abstractio formalis fit per separationem a materialibus potentialibus, et hujusmodi. Abstractio autem totalis fit per separationem a specificis actualitatibus, a quibus quanto aliquid est abstractius, tanto est potentialius, cum genus potestate contineat inferiora: et tanto est minus intelligibile, cum actus secundum se sit notior potentia, VI Metaph., text. commen. II. Quarto differunt, quia penes diversos modos abstractionis formalis scientiæ speculative diversificantur, ut patet VI Metaph. in principio. Abstractio autem totalis communis est omni scientiæ. Propter quod metaphysicæ ita ut sic non comparantur ad naturalia per modum totius universalis ad partes subjectivas, sed ut formalia ad materialia, sicut et mathematica: hæc enim gradus metaphysicæ sint universaliores aliis, et comparari possunt ad alia ut ad partes subjectivas, eo quod eidem potest utraq; abstractio convenire: tamen in quantum stant sub consideratione metaphysicali, non sunt universalis respectu naturalium, sed formæ, et naturalia sunt earum materia: hoc est valde notandum. Patet ergo quomodo ens quandoque habet abstractionem formalem, quando scilicet cum præcisione cæterarum rationum genericarum et specificarum accipitur: et

quomodo quandoque habet abstractionem totalem, quando scilicet ut totum universale potestate includens cætera genera et species, consideratur. Patere etiam potest quod non intendimus, quomodo ens sit concretum quidditati sensibili, cum scilicet neutra illarum abstractionum fulceat, sed in quidditate sensibili abstracta a singularibus absque aliqua separatione inspicitur: et sic est manifestum quid significetur nomine Entis concreti quidditati sensibili.

Id vero quod præsupponit conclusio est: ens posse cognosci cognitione actuali confusa: quod Scotistæ negant, tenentes ens non posse cognosci cognitione actuali confusa, sed distincta tantum. Et probant sic: Id quod habet conceptum simpliciter simplicem, non potest cognosci cognitione confusa actuali; ens habet conceptum simplicem: ergo. Major patet ex eo, quod cognitio confusa actualis fit, cum intellectus fertur in objectum secundum id quod actualiter in eo includitur, nec sciendo resolvere in partes rationis illius objecti. In id autem quod habet conceptum simpliciter simplicem, non contingit intellectum ferri secundum aliquid, et secundum aliquid non: aliter conceptus ejus esset compositus. Minor patet: quia conceptus entis est irresolubilus. Ut autem videatur quod conclusio non præsupponit aliquid falsum, et pateat insufficientia hujus rationis, advertas quod sicut de ratione cognitionis distinctæ actualis non est, quod objectum cognoscatur per resolutionem in partes rationis, ut patet, cum distincte cognoscitur ens: sed ejus ratio stat in hoc, quod objectum penetratur ab intellectu secundum omne, quod actualiter in illo invenitur: sive hoc fiat per resolutionem objecti in partes rationis, sive fiat ex claro intuitu objecti simplicis: ita non est de ratione cognitionis confusæ actualis, quod intellectus intelligat objectum secundum aliquid, et secundum aliquid ignoret: sed sufficit quod intellectus feratur in objectum ipsum actualiter, et non penetret ejus actualitatem, ita quod in hoc stat ratio cognitionis confusæ actualis, quod intellectus feratur in objectum secundum id, quod actualiter in eo est, non penetrando ipsum. Sive autem id contingat ex eo, quod objectum est resolubile in plures conceptus, sive ex alio, per accidens hoc se habet ad cognitionem confusam actualem: et sic ratio Scoti assumit majorem falsam, et probationem peccatam falsam consequens, ab inferiori ad sumum superius negative, a negativa unius modi cognitionis confusæ ad negativam unius modi.

Et quod ita sit, et quod ens et quodlibet simpliciter simplex possit cognosci cognitione confusa actuali, proba sic: quandoqueque intellectus fertur in ens, actualiter ipsum concipiendo, et nesciendo separare ens a substantia et accidente, habet de ente cognitionem confusam actualem: sed multorum hominum intellectus est hujusmodi: ergo, etc. Major sic manifestatur: quia cum intellectus actualiter fertur in ens, et tamen nescit separare propriam ejus rationem a rationibus propriis substantiæ et accidentis: aut habet cognitionem confusam, aut distinctam. Non distinctam: quia effectus inseparabilis cognitionis distinctæ, est scire illius objecti differentiam ab aliis, ergo confusam: et cum positum sit quod sit cognitio actualis, sequitur quod sit cognitio confusa actualis. Minorem experientia docet: videmus enim multos per plures annos exercitatos in studiis adhuc nescire distinguere rationem propriam entis a substantia et accidente: quos nescire habere conceptum actualem entis, fatuum est dicere, et contra sensum: considerant enim ens secundum id quod actualiter in se habet, et totum attingunt: sed

quia non totaliter comprehendunt, ideo nesciunt ipsum ab aliis separare: restat igitur presuppositum in nostra conclusione solidum, et falsum esse, quod ens sola cognitione actuali distincta cognoscatur. Nunc superest probare conclusionem, quam habes quoad primam partem a S. Thoma et Avicenna dicentibus: quod ens est fil quod intellectui nostro primo imprimitur. Probat uterque sic conclusio: conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis: sed conceptus actualis confusus entis est conceptus imperfectissimus omnium: ergo est primus via originis. Major patet: quia imperfectiora sunt priora via generationis, IX Metaph., tex. com. xv. Minor etiam est de se evidens: quia omnis alius conceptus cum addat ad entis conceptum, est perfectior illo, sicut totum sua parte.

Respondet Ant. Trombeta, quia perfectio conceptus est duplex: perfectio objectalis et perfectio evidentiae: ille conceptus est perfectior objectalis, qui habet objectum perfectius positive: ille autem est perfectior evidentior, qui habet objectum pauciora includens ex Aristotele (in proem. Metaph.). Unde si in argumento sit sermo de perfectione objectalis, maior est falsa, et minor vera: si de perfectione evidentiae, maior est vera et minor falsa.

Contra: et proba quod minor sit vera de perfectione evidentiae loquendo: ita quod conceptus actualis confusus entis sit imperfectissimus, quoad evidentiam. Ille conceptus est omnium inevidentissimus, sub quo intellectus positus magis remotus est a cognitione aliorum omnium, quam sub quocunque alio conceptu: conceptus actualis confusus entis est huiusmodi, scilicet quod intellectus habens ipsum, magis distat ab aliorum cognitione, quam habens quocunque alium conceptum: ergo conceptus actualis confusus entis est inevidentissimus omnium. Major patet ex eo quod evidentia conceptus, cum sit propria perfectio intellectus, quanto maior est, tanto intellectum magis propinquum reddit ad aliorum cognitionem, praesertim cum intellectus ex evidentibus ad inevidentia naturaliter procedat. Minor vero probatur sic: quocunque sunt aliqui duo conceptus, quorum unus actualiter alterum includit, et non e converso, intellectus habens illum, qui actualiter includit alterum, est in proximiori dispositione ad cognoscendum reliquum, quam e converso, modo conceptus entis ita se habet ad alios, quod ipse alios non includit, alii vero actualiter ipsum includunt: ergo intellectus habens conceptum entis magis distat ab aliorum cognitione, quam habens quocunque alium conceptum. Et confirmatur per Scotum dicentem, quod pars rationis actualiter intellecta est satis proxima intellectui, adeo ut proximius esse non possit. Illud autem quod adducitur ex proem. Metaph. quod evidentia attenditur penes objectum pauciora actu includens, ad propositum non est: quoniam certitudo illa est certitudo objectalis: sermo autem noster est de evidentia se tenente ex parte intellectus: ex talibus enim evidentibus et certis procedit intellectus ad sibi inevidentia et incerta.

Secundo probatur eadem conclusio sic: cognitio primorum principiorum est prima cognitio complexa: ergo cognitio entis est prima cognitio incomplexa. Antecedens patet ex eo quod cognitio, quae est a natura, debet procedere eam, quae est ex industria: et ex eo quod in omnium sunt notitia, etiam in puertia, et ex eo quod praesupponantur ad quodlibet discere: ut habetur primo Post. Consequentia vero probatur, quia cum ens sit terminus ille, ex quo conficitur principium pri-

mum, si ens non esset primum cognitum, sed aliquid aliud, posset tunc fieri alia complexio ab intellectu, adhuc non habita notitia principii, etc.

Contra ipsam positionem Scoti arguitur: Species specialissima non est objectum confusissimum simpliciter: ergo cognitio ejus actualis confusa non est prima simpliciter, et consequenter ipsa non est primum cognitum. Consequentia tenet ex positione adversa dicente, quod ideo species specialissima est primum cognitum, quia est confusissima. Antecedens probatur sic: Genus est confusus specie: ergo ipsa non est confusissima. Consequentia iterum est nota. Antecedens probatur: Quod plura continet, est confusus, genus plura continet quam species: animal enim continet plura, quam homo: ergo, etc.

Respondet, quod continentia est duplex, quaedam actualis, quaedam potentialis, et quod id est confusus, quod plura continet actualiter, non potentialiter, modo genus continet plura in potentia: species autem in actu, et ideo species est confusus.

Contra, confusus est quod continet plura sine ordine, quam quod continet plura cum ordine: sed continens actualiter continet plura ordinate, species enim ordinate continet partes distinctas: continens autem in potentia continet plura sine ordine: ergo continens plura potentialiter est confusus.

Respondet Ant. Trombeta, quod genus continet species ordinate et non sine ordine, eo quod non respiciat eas nisi mediis differentiis, quae sunt valde ordinate.

Contra, genus continet species et differentias non in actu, sed in potentia (ut dicit Porphyrius), ergo continet eas indistincte. Tenet consequentia: quia actus est qui distinguit, VII Metaph., tex. com. XLIX, tunc ultima continet indistincte: ergo non ordinate. Tenet consequentia: quia ordo absque distinctione non est imaginabilis (etiam si fingendi detur licentia). Quod autem dixit, genus scilicet non respicere species nisi mediis differentiis ordinatis, non juvat: eo quod non solum species, sed etiam differentias inter se ordinatas genus absque ordine continet, ut probatum est.

Advertas hic, quod confusio non sequitur continentiam plurium (ut Scotistae fingunt) sic enim universum esset maxime confusum: sed continentiam plurium sine ordine, unde proverbium est, ubi pluralitas sine ordine, ibi confusio, etc.

Secunda conclusio est ista. Inter conceptus actuales confusos praedicatorum quidditatorum non est essentialis ordo originis. Probat uterque sic: quocunque sunt aliqui conceptus essentialiter ordinati ordine originis, impossibile est extremos generari non genitis intermediis. Ista patet de se: alioquin non esset ordo essentialis originis inter illos: sed de facto habemus conceptus confusos actuales extremorum absque intermediorum conceptibus: ergo non est inter eos essentialis ordo originis. Minorem experientia declarat: experiri namque nos concipere hominem, et substantiam, et tamen intermedia ignoramus non solum distincte, sed confuse: caremus enim conceptibus propriis eorum, quibus actualiter in ipsa dirigatur intellectus acies: et non solum ignoramus resolvere ipsa in partes diffinitivas. Et quia haec ratio convincit me, ideo solam adduco. Ex hoc patet defectus Scotistarum dicentium, quod est ordo essentialis inter conceptus confusos: non enim possunt solvere hanc rationem.

Sed immediate contra haec obijcit sic. Inter conceptus confusos

actuales superioris et inferioris non est ordo essentialis originis: ergo ita potest primo generari conceptus speciei specialissima, sicut entis: quod est contra primam conclusionem. Tenet consequentia: quia ordo non essentialis non est necessarius, et variari potest.

Ad hoc dico negando consequentiam: licet enim non sit ordo essentialis inter omnes conceptus confusos, est tamen talis ordo inter conceptus entis, et quemque alium. Nec hoc est voluntarium, eo quod conceptus entis est quædam forma generalissima ipsius intellectus, sicut forma corporealis est forma generalissima ipsius materiæ; unde sicut inter formas corporealis et alias est ordo essentialis, non autem inter alias formas inter se: ita inter conceptum entis et alios, non autem inter alios inter se: potest enim post conceptum entis quodcumque aliud concipi, sive substantia, sive accidens, sive species, sive genus. Est etiam conceptus entis quasi naturalis ipsi intellectui, sicut et cognitio primi principii: statim enim presentatum esset ab omnibus cognoscitur, et ideo ipsum oportet esse prius aliis essentialiter sicut universaliter actus naturalis præcedit cæteros, qui penitus ab extra sunt: non est autem similis ratio de aliis conceptibus inter se. Et hæc de tertio.

Quoad quartum, quia Ant. Trombeta impugnat quædam dicta S. Doctoris in prima parte, quæst. lxxxv, art. 3, ubi tradit ordinem intellectualis cognitionis secundum viam Peripateticam, ideo adduco ejus impugnationes, et solvo. Quinque autem sunt dicta, contra quæ arguit. Primum est, intellectus est universalium et prius magis universalium. Secundum, intellectus noster procedit de potentia ad actum. Tertium, notitia rerum in generali est notitia incompleta. Quartum, notitia in generali est notitia secundum quid, et in potentia. Quintum, sensus extensus de potentia ad actum prius communius, quam minus commune cognoscit.

Contra primum arguit sic. S. Thomas tenet, quod quicquid est in re et ex natura rei sit singulare: addo hæc aliam propositionem, scilicet illud quod præcedit actum intelligendi est reale. Tunc sic: Quidquid est in re est singulare; quicquid prima intellectione intelligitur, est in re: ergo quicquid prima intellectione intelligitur, est singulare; ergo non potest intelligere magis universaliter. Major est S. Thomæ, minor ex secundo supposito patet: quod quadrupliciter probatur. Tum quia ens rationis est posterius actu collationis intellectus. Tum quia tale objectum est causa entis realis, scilicet primi actus intelligendi. Tum quia talis primus actus refertur ad objectum relatione reali quæ non est nisi ad terminum realem. Tum quia talis primus actus dependet ab objecto ut a mensura, ens autem reale non dependet ab ente rationis.

Ad hæc responsio, quod major potest habere duplicem sensum. Primus est, quod quicquid est in re, est singulare, id est, quicquid est in re est singularitas; et sic est falsa, est enim in Sorto non solum singularitas, sed humanitas et animalitas. Secundus sensus est, quicquid est in re, est singulare, id est, quicquid est in re, habet esse singularitatum: et hoc modo est apud Peripateticos verissima; unde argumentum si debet esse tribus terminis, major est falsa in primo sensu. In secundo autem conceditur totum argumentum, ens si quidem primo cognitum non habet esse reale nisi in singularibus. Quæ autem addit, quantum veritatem habeant infra patebit.

Contra secundum dictum, scilicet, Intellectus noster procedit de potentia ad actum, arguitur sic: ista propositio assumitur a S. Thoma ad probandum illam conclusionem, scilicet magis universale prius intelligitur:

aut ista propositio concludit nihil ad propositum, aut ipsa est simpliciter falsa. Quia si intelligit quod intellectus prius intelligat aliquid in potentia, quam in actu, ipsa est vera, sed non ad propositum: concedo enim quod intellectus prius intelligit speciem specialissimam in potentia, quam in actu; sed hoc non habet, quod prius genus, quam speciem intelligat. Si autem intelligat, quod intellectus procedit de potentia ad actum, id est, de notitia imperfecta ad perfectam, ipsa non est universaliter vera, ut patet cum proceditur a notitia præmissarum ad conclusionem, et a notitia causæ ad effectus notitiam: et per hoc patet etiam illud esse falsum, scilicet quod intellectus prius pervenit ad actum imperfectum quam perfectum, nam aer illuminatus non prius imperfecte, deinde perfecte illuminatur a sole: similiter intellectus prius recipit actum quam habitum, et tamen actus est perfectior habitu; unde ad hoc quod propositio sit vera, oportet probare ordinem essentialium actus incompleti ad actum completum.

Ad hoc respondeo quod S. Thomas intelligit illam propositionem neutro illorum modorum præcise, sed hoc modo. Intellectus extensus de potentia ad actum ultimate perfectum transitur per multos actus medios prius pervenit ad actum imperfectum, quam perfectum: et habetur ista propositio ex VIII Phys., text. com. lviij, et IX Metaph., text. comen. xv, et in libro secundo de partibus animalium, quod priora via generationis sunt imperfectiora. Sub illa ergo majore subsumatur minor, scilicet: intellectus noster est extensus de potentia ad actum ultimate perfectum, puta cognitionem distinctam speciei specialissimam transitur per multos actus intermedios; ergo prius pervenit ad actum imperfectum, quam perfectum. Minor est evidens: eo quod cognitiones generum ab omnibus conceleantur actus intermedii, et sic ratio concludit quod prius magis universale, quam minus universale distincte cognoscamus; quod intendebat beatus Thomas, sed ille deceptus est: quia credit S. Thomam loqui de cognitionibus confusis actualibus, cum, sicut supra dictum est, loquatur de cognitione confusa virtuali ipsius speciei, et distincta ejusdem et generis: cognitio enim distincta actualis generis appellatur ibi confusa ipsius generis et specierum eo quod confusa in illa species et generis potestas cognoscantur. Ad id quod additur contra hanc propositionem, Intellectus procedit de notitia imperfecta ad perfectam, dico quod hæc propositio est vera-universalissime, si intelligatur.

Pro ejus intellectu et omnium instantiarum solutione, adverte primo quod processus nature et intellectus est duplex, alter secundum ordinem generationis tantum, alter secundum ordinem generationis et causalitatis effectivæ vel finalis. Primus processus est quando inter terminos et media non cadit nisi prioritas et posterioritas secundum generationem. Secundus est quando ultra istam prioritatem invenitur in illo quod est prius, etiam prioritas causæ effectivæ vel finalis.

Secundo adverte quod aliud est perfectius altero dupliciter, scilicet simpliciter vel secundum quid: stat enim quod aliquid sit simpliciter, id est secundum suam naturam, altero perfectius, quod tamen secundum aliquam conditionem est imperfectius illo: sicut substantia materialis est simpliciter perfectior accidente, quo tamen est imperfectior secundum quid, in quantum actatur per illud. Dicit ergo quod tam natura, quam intellectus in processu generationis tantum super procedit de imperfecto simpliciter ad perfectum simpliciter: eo quod ordo generationis attenditur penes genus causæ materialis, sicut animal prius

generatur, quam homo (ut dicitur in libro de animalibus). In processu autem secundo proceditur de imperfecto non simpliciter, sed secundum quid, ad perfectius secundum quid, sicut substantia est prior generatione accidente, et ultra hoc est prior causalitate finali, eo quod est finis ejus, et quandoque agens. Constat autem ipsam esse secundum quid imperfectiore accidente, in quantum est in potentia respectu ejus, et causalitatem materialem participat.

Ad primam igitur instantiarum dicitur quod præmissæ non sunt priores conclusionæ via generationis tantum, sed etiam ordine causalitatis effective (ut dicitur II Phys., tex. commen. xxxi). In alia littera, ut testatur ibi S. Thomas et colligi potest ex primo posteriorum, et ideo sufficit quod notitia earum sit imperfectior secundum quid: unde etiam in genere causæ materialis collocantur, II Phys., ibidem, et V Metaph., tex. com. xxxii. Idem dico ad secundam de processu notitiæ causæ ad effectum. De aere illuminato non est ad propositum: quia illuminatio non est successiva, conceptus vero generis et speciei sibi succedunt. Falsum quoque est quod actus præcedens habitum sit simpliciter habitus perfectior: licet hoc sit verum de actu elicto ab ipso habitu, ut habes I Ethic., talis autem est posterior habitus. Ordo quoque essentialis conceptus generis ad speciem salis sufficienter notat in notitia distincta, est ex dicitur ibidem, unde non oportebit aliter laborare.

Contra tertium, scilicet quod notitia in universali est notitia incompleta, arguitur sic: demonstratio universalis est potior demonstratione particulari: ergo notitia in universali, quæ acquiritur per demonstrationem universalem, est potior notitia particulari.

Ad hæc dico quod argumentum peccat per fallaciam æquivocationis illius termini universale. Aristoteles enim vocat demonstrationem universalem illam, quæ passio de suo proprio subjecto scitur: et hoc tam in passionibus genericis, quam specificis, et vult dicere quod potior est notitia illa, quam acquirimus per demonstrationem demonstrantem passionem de suo subjecto primo, quam illa quæ fit per demonstrationem, quæ illa passio demonstratur de parte subjecta primi subjecti. Nos autem dicimus quod cognoscere hominem in animali est cognoscere hominem imperfectius, quam cognoscere hominem in seipso: et hanc vocamus cognitionem in universali. Manifestum igitur est omni habenti ingenium, quod nostra dicta Aristotelis non repugnant. Aliud est enim dicere, A cognoscitur in universali, et A demonstratur demonstratione universali: primo modo A non cognoscitur in semetipso, sed in suo superiori; secundo modo A in seipso cognoscitur in esse suo primo subjecto.

Contra quartum, scilicet notitia in universali est notitia secundum quid et in potentia, propterea quod in ipso universali intelliguntur particularia sub quadam confusione, ex quo infertur: ergo notitia in universali est notitia confusa.

Contra. Illa probatio nulla est, quæ procedit secundum fallaciam æquivocationis: ista est hujusmodi; ergo, etc. Declaratur minor: quia aliud est loqui de notitia actuali objecti, et aliud de notitia virtuali eorum quæ in ipso includuntur. Licet enim notitia virtualis particularium in universali sit confusa, tamen notitia actualis ipsius universalis est distincta: et quia ab his, quæ actualiter confunduntur in objecto, attenditur confusio notitiæ cum notitia specificatur ab objecto, et his, quæ sunt intrinseca, non debet dici notitia confusa, sed distincta.

Ad hæc dico, quod iste non intelligit S. Thomam qui vult quod notitia

disjuncta animalis, ut est totum diffinibile, sit notitia confusa animalis, ut est totum universale, et consequenter notitia confusa specierum, et ideo non accidit æquivocatio. Patetur enim quod notitia quæ actualiter fertur intellectus in ipsum animal, ut universale, et non in suas species, est notitia confusa animalis, ut totum universale est, et non solum specierum ejus, ut expresse dicitur ibi S. Thomas. Unde contingit animal simul esse notum distincte et confuse diversimode: ut supra dictum est. Nec oportet quod si istæ duæ notitiæ simul inveniuntur, sint eadem cum etiam separantur: puta cum et actualiter et virtualiter animal distincte cognoscitur. Quod autem addit, quod talis notitia non debet dici confusa, falsum esse ostenditur, ex eo quod minor est confusio actualis quam potentialis. Quod ultimo additur, quod notitia specificatur ab objecto et ejus intrinsecis, ad propositum non est: confusio enim et distinctio non sunt species cognitionum; alioquin cognitio confusa et distincta ejusdem objecti non essent ejusdem speciei et sic notitia non specificaretur ab objecto: unde assumptum ejus implicat contradictionem in proposito.

Contra quintum, scilicet quod sensus extens de potentia ad actum prius communius quam minus commune cognoscit, arguitur sic: sensus non cognoscit nisi singulare, ergo non prius cognoscit magis commune. Quod si dicas sensum non cognoscere magis commune in se, sed præcognoscere singulare magis communius: contra, aut cognoscit singulare magis communius: ita quod singularitas est ratio cognoscendi: aut ita quod natura communis sit ratio cognoscendi: primum non est dicendum, ut de se patet: nec secundum potest dici a Thomistis: quia hoc ideo esset, quia natura illa esset ratio movendi sensum.

Contra quod arguitur sic. Illud non est ratio movendi, quod est idem re et ratione ei, cui repugnat ratio movendi: sed natura communis est eadem re et ratione singularitati, cui repugnat ratio movendi: ergo, etc. Probatur minor: quia natura et singulare non distinguuntur realiter, non ex natura rei apud te, nec ratione. Quod probo: quia distinctio rationis sequitur actum intellectus, in illo autem priori nullus actus est intellectus. Et confirmatur: quia actus realis non dependet ab ente rationis; sed sensatio est actus realis: ergo non dependet ab ente rationis; sed objectum sensibile habens in se distinctionem rationis est ens rationis, vel aggregatum ex ente reali et rationis: ergo, etc. Et confirmatur ratio principalis sic: quæcumque sunt indistincta omnino secundum rem, si unum terminat ad aliquam actionem realem et reliquum terminat eandem: sed natura magis communis et minus communis sunt hujusmodi: ergo, etc., et hoc supposita debita approximatione ad sensum. Confirmatur secundo: idem sensus primo cognoscit quod species sensibilis primo representat: sed species sensibilis primo representat singulare speciei specialissimæ posita debita distantia: ergo, etc. Minor probatur: species sensibilis primo representat objectum sub ea ratione, quæ imprimitur sensui; sed imprimitur ab objecto sub ratione naturæ specificæ, tum quia est actualior et perfectior, tum quia species sensibilis est naturalis similitudo causata ab objecto representans ipsam adequate secundum rationem quæ sibi essentialius et perfectius competit, quam sub ea ratione quæ sibi remote et minus principaliter competit.

Ad hæc respondetur, quod responsio ibi recitata est bona et recta. Ad

impugnationem dico, quod natura talis, puta color et non natura communis, id est color communis est ratio movendi. Ad improbationem, negator minor pro utraque sui parte: nam apud S. Thomam in I parte, q. iii, art. 3, in rebus materialibus natura et singularitas distinguuntur realiter, et distinctio rationis, licet actualiter sit post sensationem, fundamentaliter tamen prevenit ipsam: et hoc sufficit. Ad confirmationem dicitur primo, quod obiectum sensibile habens distinctionem rationis fundamentaliter, non est ens rationis: nec aggregatum ex ente reali et ente rationis. Distinctio enim rationis fundamentaliter nihil addit supra rem. Dicitur secundo quod sensatio non causatur a distinctione nature, sed a natura ipsa habente talem conditionem: et ideo dato quod distinctio illa esset ens rationis, adhuc nihil concludit: non enim color in quantum distinctus a sua singularitate movet: sed hic color in quantum color, de cuius ratione, nec distinctio nec adunatio est. Ad aliam confirmationem dicitur, quod major est falsa quoad actiones nihil reale ponentes in suis terminis, quales sunt actiones immanentes: possum enim intelligere Dei sapientiam non intelligendo ejus bonitatem. Ad alias confirmationes præmitto, quod non dicit S. Thomas quod semper sensus prius cognoscat magis commune, quam minus commune; verba enim sua sunt ista: Et quia sensus exit de potentia ad actum, sicut et intellectus, idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu, nam primo secundum sensum dijudicamus magis commune, quam minus commune et secundum locum, et secundum tempus. Ex quibus verbis non habetur nisi quod sensus primo secundum locum et tempus cognoscit singulare magis commune, et non habetur quod semper ita sit; unde argumenta illa non sunt contra S. Thomam licet non concludant: falsum enim est, quod species sensibilis primo representet singulare speciei specialissimæ; et ejus probatio falsa est, scilicet quod species sensibilis sit primo impressa a natura specificâ, nam species sensibilis primo imprimitur a per se primo objecto sensus: nullius autem sensus objectum primum est species specialissima, ut patet discurrendo; propterea species sensibilis imprimitur primo à visibili in eo, quod coloratum, et non ab ipso, in eo, quod est album vel nigrum. Nec obstat, quod albedo sit actualior colore, quia hoc non sufficit: sed requiritur quod sit primum obiectum potentie. Nec est verum quod assumit, scilicet quod essentialius insit sensibili natura specialissima, quam natura generis: imo huic visibili, ut sic, essentialior est color, quam albedo sive nigras; quod patet ex hoc, quod sublata albedine sive nigredine visibile remanet: non autem e converso. Et hæc de quarto.

Quoad quintum responderetur ordinate argumentis factis: et ad primum negatur illud ultimo assumptum, scilicet quod perfectissimus effectus, quem possunt primo producere agentia ad intellectionem, sit conceptus specificus. Dico enim, quod perfectissimus, quem pro tunc possunt, est conceptus entis, immo nullum alium possunt pro tunc. Et cum contra hoc arguitur: quia sic nunquam produceretur conceptus specificus; non valet consequentia. Ad ejus probationem dicitur, quod nulla virtus potest in perfectiorem effectum suo effectu perfectissimo simpliciter: quælibet tamen virtus potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu, in quem potest pro aliquo priori: quia ille non est perfectissimus, nisi secundum quid. Exemplum: virtus generativa leonis non potest in perfectiorem effectum, quam sit leo, quia hujusmodi est ejus effectus perfectissimus simpliciter: potest tamen in effectum per-

fectiorem illo, quem producit in principio actionis: quia tamen effectus fuit perfectissimus, quem pro tunc posset producere. Ad confirmationem dicitur, quod minor est falsa: nam intellectus existens in pura potentia non est æque dispositus ad conceptum specificum, sicut entis, non per positionem alieque contrariæ dispositionis, sed propter ordinem conceptus generalissimi ad speciales: sicut materia prima omni contraria dispositione inconsiderata, non est æque disposita ad formas specificas, et ad formam corporeitatis: sed oportet primo recipi formam corporeitatis propter ordinem formæ generalis ad speciales, propter quod consuevit dici, quod est indispositus privative et non contrarie.

Ad secundum patet responsio ex dictis: nam termini metaphysicales ut sic, non ponuntur a nobis primo cognosci; sunt enim termini metaphysicales abstracti abstractione formali; sed dicimus quod significatum hujus termini ens concretum quidditatis sensibilis est primo cognitum.

Ad tertium dico quod non oportet in quacunque formatione conceptus speciei semper singillatim præformare conceptum confusum entis: sed sufficit ens primo omnium fuisse cognitum: in illo enim omnia virtualiter concipiuntur. Uterius dicitur, quod cum apud nos non ponatur ordo essentialis inter istos conceptus confusos, non oportet tantum temporis interesse.

Ad quartum dicitur, quod species specialissima non est facilioris abstractionis, quam ens, loquendo de abstractione ad propositum requisita. Sicut enim ad conceptum confusum speciei specialissimæ requiritur et sufficit duplex abstractio: altera per actum intellectus agentis, scilicet separatio a singularibus; altera per actum intellectus possibilis, scilicet actualiter intueri speciem, et non actualiter intueri genus: ita ad conceptum confusum actualem entis duplex est abstractio necessaria prima est a particularibus, quæ quidem fit, cum species quæcumque abstrahitur ab intellectu agente; altera fit ab intellectu possibili per hoc, quod in quidditate quæcumque sibi primo presentata actualiter, primo concipit ens non concipiendo actualiter cætera quæ in illo sunt: unde tanta et tam facilis est abstractio illa entis, quam facilis est abstractio speciei specialissimæ; imo abstractio ista entis est facilior, quia facilis est actualiter concipere prius sine posteriori, quam e converso. Ex quo patet, quod abstractio illa, de qua loquitur argumentum, non est necessaria ad cognitionem confusam.

Ad quintum dico, quod minor est falsa: et ad ejus probationem negatur consequentia, eo quod sensus non movetur a singulari in eo quod singulare. Ille enim modus arguendi secundum regulam Topicam non tenet, nisi cum predicatum convenit subjecto, secundum quod ipsum, ut habes a S. Thoma in III contra Gentiles, cap. cxxxix, quod in proposito non reperitur: non enim hic color, in quantum hic, movet visum; sed in quantum color. Ad aliam probationem dicitur, quod major assumptio non est vera universaliter: eo quod coloratum magis movet visum, quam hoc nigrum: quia a remotioribus movet. Agens namque corporale quanto in remotius agit, tanto fortius videtur. Secundo dicitur, quod fortius movet sensum multa singularia imperfecta, quam unum actualius et perfectius: et quia omnia singularia sunt singularia entis, ideo cogitativa pueri, in quo nova cognitio oriri debet, magis movetur a singularibus entis, quam a singularibus hujus speciei, et cum intellectus accipiat universale ex multis singularibus, ut dicitur II Post. (et in

proëmio Metaph.) ideo prius cognoscit ens, quam species; et secundum hoc dicitur ad argumentum, quod maior est vera ceteris paribus: non autem ubi aliqua imparitas sicut in proposito accidit, præponderans invenitur: multo enim plura singularia entis præponderant paucioribus singularibus speciis, sicut plus trahunt mille homines non nimis fortes, quam decem fortes.

Ad sextum dicitur, quod maior simpliciter est falsa. Ad auctoritatem philosophi dicitur primo, quod textus Commentatoris est corruptus: debet enim legi confusa et non composita. Dicitur secundo, ut salvemus Commentatorem, quod compositum est notius suis componentibus, ut sic, non autem absolute: unde prius confuse cognosco hominem, quam partes ejus definitivas ut sic; absolute tamen prius cognosco magis universale. Ex his apparet veritas minoris auctoritate Avicennæ approbata.

Deinde reddit auditores attentos, dicendorum difficultatem aperiens, tria proponendo, quid nomine essentis et entis significetur, et quomodo in diversis diversimode inveniantur, et quomodo se habeant ad intentiones logicas. Horum enim difficultas non modica est, ut diversitas opinionum circa ipsa testatur: sunt enim maxime universalis, quæ sunt difficillima ad cognoscendum, ut dicitur I Metaph.

Circa hæc particulam nota, quod sicut quid rei est quidditas rei, ita quid nominis est quidditas nominis; nomen autem cum essentialiter sit nota earum quæ sunt objective in anima passionum (ex I Perihermienas) non habet aliam quidditatem nisi hæc, quod est signum alicujus rei intellectæ seu cogitata: signum autem ut sic, relativum est ad signatum: unde cognoscere quid nominis nihil est aliud, quam cognoscere ad quod tale nomen habet relationem, ut signum ad signatum. Talis autem cognitio potest acquiri per accidentalialia illius signati, per communia, per essentialia, per nutus, et quibusvis aliis modis, sicut a Græco quærentibus nobis (quid nominis anthropos) si digito ostendatur homo, jam percipimus quid nominis; et similiter de aliis. Interrogantibus vero quid rei, oportet assignare id quod convenit rei significatæ in primo modo perceptis adæquate. Et hæc est essentialis differentia inter quid nominis et quid rei, scilicet, quod quid nominis est relatio nominis ad signatum: quid rei vero est rei relatæ seu significatæ essentia; et ex hac differentia sequuntur omnes aliæ quæ dici solent, puta quod quid nominis sit non entium complexorum, per accidentalialia, per communia, per extranea; quid rei vero est entium incomplexorum per propria et essentialialia: relatio enim vocis potest terminari ad non entia in rerum natura, et complexa, et declarari per accidentalialia, et hujusmodi; essentia autem rei non nisi per propria essentialialia habetur de entibus incomplexis.

Quia vero ex compositis cognitionem simplicium accipere debemus, et ex posterioribus devenire in priora, ut a facillioribus incipientibus convenienter fiat disciplina: ideo ex significatione entis ad significationem essentis procedendum est.

In hac tertia parte proëmii reddit auditores dociles ordinem dicendorum proponens tali conclusione: Ab ente ad essentiam procedendum est. Quam probat duplici modo. Primo sic: ex compositis ad simplicia procedendum est; sed ens est velut compositum, et essentia velut simplex: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Secundo sic: ex

posterioribus in priora procedendum est: sed ens est posterius essentia: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Major utriusque rationis probatur: quia ex facillioribus est inchoandum; composita autem et posteriora sunt facilliora nobis simplicibus.

Circa minorem primæ rationis nota, quod ens, ut infra dicitur, significat id quod habet esse: id autem quod habet esse, comprehendit in se essentiam; essentia vero significat id quod importat definitio, ut dicitur, quæ non dicit esse vel non esse, ex primo posteriorum: ens ergo ita se habet ad essentiam, quod complectitur in se utrumque, essentiam scilicet et esse; essentia vero alterum tantum, et ideo ens appellatur compositum respectu essentia.

Circa majorem secundæ rationis scito, quod quando dicimus: ex posterioribus procedendum est, intelligitur ex posterioribus secundum naturam, prioribus quoad nos: innata enim est nobis via ex notioribus nobis in ignotiora naturæ, ut dicitur I Physic., text. comment. n. Minor secundæ rationis probatur ex eo, quod compositum est posterior componentibus, et ens (ut dictum est) compositum est respectu essentia.

CAPUT I

*Entis et essentia nomine quidnam significetur, ostendit.
Nomina item varia ponit, quæ essentiam significant.*

Sciendum est, quod sicut in V Metaphysicæ philosophus dicit, ens per se dicitur dupliciter. Uno modo, quod dividitur per decem genera. Alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum unius differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat: per quem modum privationes et negationes entia dicuntur; dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi, et quod cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat. Unde primo modo cæcitas et hujusmodi non sunt entia. Nomen igitur essentia non sumitur ab ente secundo modo dicto: aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiam non habent, ut patet in privationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Unde Comment. in eodem loco dicit: Ens primo modo dictum est, quod significat substantiam rei.

Hic incipit tractatus divisus in duas partes. In quarum prima declaratur quid nomine Entis et Essentia significetur. In secunda vero quomodo essentia in diversis diversimode inveniat. Pars prima unico absolutiviter capitulo, pars secunda sex: et sic totum integrant tractatum capitula septem. Quorum primum, quod præ manibus habemus, tres partes continet: in prima declaratur quid nomine Entis significetur; in secunda quid nomine Essentia; in tertia differentia nominum ipsius essentia designatur. Primum tali divisione declaratur, ens per se dupliciter dicitur: uno modo, ut dividitur per decem genera, alio modo ut significat veritatem propositionum: quemadmodum dicit Arist., V Metaph., text.